

vel alio modo transferuntur, creditorum suum consensum... et quodam legitimo postea modo [res] ad priorem dominum revertuntur.

TIT. XXVII.

ETIAM OB CHIROGRAPHARIAM PECUNIAM PIGNUS TENERI POSSE.

1. Imp. GORDIANUS A. Festo.

Pignus intercidit, si novatione facta in alium jus obligationis translit, nec ut ea res pignoris nomine teneretur, tibi cautum est.

TIT. XXVIII.

DE DISTRACTIONE PIGNORUM.

1. Imp. ALEXAND. A. Pacatæ.

Fundum pignori obligatum, si creditor ex fructibus debitum consecutus est, cum ipso jure pignus [ab] obligatione liberatum sit, distrahere minime potest.

2. Idem, A. Maximæ.

Creditor, qui hypothecam seu pignori rem sibi nexam vendidit, litigium rem non videtur vendere: quia precario debitor possidet.

3. Idem, A. Luciano.

Hypothecis, vel pignoribus a creditoribus venditis, in id, quod deest, adversus reum, vel fideiussorem [ejus] actio competit.

4. Idem, A. Crescentii.

Creditor hypothecas, sive pignus cum proscrit, notum debitori facere, et sibi bona fide rem gerere, et quando licet testato dicere debet.

5. Idem, A. Sossiano.

Si residuum debiti paratus es solvere, præsens provincia dabit [tibi] arbitrum: apud quem quantum sit, quod superest ex debito, examinabitur.

6. Imp. GORDIANUS A. Rogato.

Quamdiu non est integra pecunia creditori numerata, etiamsi pro

16. L. 10, supr. h. t. — 17. L. 158, D. de reg. jur. — Tit. XXVII. — 1. L. 11, § 1, D. de pignorat. — L. 18, D. de novation. — 2. L. 1. L. 2, L. 3, supr. de pignorat. — L. 11, D. de novat. — 3. L. 12, § 4, D. de pignorat. — 4. L. 1, supr. si alien. res. — Tit. XXVIII. — 1. Lib. 20, D. 5. — 2. L. 2, supr. de partu pignoris; L. 9, supr. de pignorat. — 3. L. 1, infr. de litigios. — 4. L. 5, D. de pactis. — 5. L. 5, L. 9, infr. h. t. — L. 10, supr. de obligat. — L. 8, in fin. supr. si certum pet. — L. 25, D. de reb. cred. — L. 9, in fin. D. h. t. — 6. Fac. L. 5, L. 8, supr. de remiss. pignoris; L. 5, § 1, vers. sin. autem, infr. de jure domini. — 7. L. 1, infr. si venditio pignoris. — 8. L. 5, supr. h. t.; adde L. 8, infr. eod. — L. 2, infr. debitor vendit, pign. impedit. — 9. L. 5, supr. h. t.; L. 2, in fin. infr. tit. prox. — L. 25, § 14, D. famul. creiscis; L. 8, § 2, 3; L. 11, § 4, D. de pignorat.; adde L. 65, D. de evictionib.

parte majore eam consecutus sit, distrahendi rem obligatam non amittit facultatem. — P. P. 15 kal. septemb. Pio et PONTIANO COSS. 239.

7. Idem, A. Caro.

Si cessante solutione, creditor non reluctante lege contractus, ea, que sibi pignori nexa erant, distrahit, revocari venditionem iniquam est: cum si quid in ea re fraudulenter fecerit; non emptor a te, sed creditor conveniendus sit. — P. P. kal. novembr. Pio et PONTIANO COSS. 239.

8. Idem, A. Maximo.

Si priusquam distraheretur pignoratata possessio, pecuniam creditori obtulisti, et eoque non accipiente, facta contestatione eam deposuisti, et hodie [quoque] in eadem causa permanet, pignoris distractio non valet.

9. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Cillo.

Quæ specialiter vobis obligata sunt, debitoribus detrectantibus solutionem, bona fide debetis et solemniter vendere. Ita enim apparebit, an ex pretio pignoris debito satisfieri possit.

10. Idem, AA. et CC. Ruffino.

Et qui sub imagine alterius personæ quam supposuerat, jugiter tenet: cum sibi negotium gerat, alienasse non videtur. Jure enim pignoris obligatum prædium, neque si per subjectam personam creditor comparaverit, neque si sibi addiderit, debitori offert præjudicium; sed in eadem causa permanet, in qua fuit ante hujusmodi collusionem.

11. Idem, AA. et CC. Rufina.

Mulier, licet specialiter res pignori dederit pro alio, creditor eas distrahendi non habet facultatem: nisi dissimulatione marito obligante velut proprias, creditoris ignorantiam circumscripserit. — P. P. 3 kal. Maji, Heracleæ, AA. COSS.

12. Idem, AA. et CC. Zotico.

Si debitor rem tibi jure pignoris obligatam, te non consentiente distraxit: dominium cum sua causa transtulit ad emptorem. — S. prid. kalend. Maji, Heracleæ, AA. COSS.

13. Idem, AA. et CC. Theodotæ.

Qui prædium obligatum a creditore comparavit, si in vacuum possessionem inductus non est, nullam in rem actionem habet.

14. Idem, AA. et CC. Modesto.

Si in hoc, quod jure tibi debetur, satisfactum non fuerit, debitoribus res obligatas tenentibus, aditus præsens provinciæ, tibi distrahendi facultatem jubebit fieri. — P. P. 16 kal. decemb. Sirmii, AA. COSS.

15. Idem, AA. et CC. Aviana.

Obligatis pignori mancipiis a creditore distractis ac traditis; si post debitor quondam hæc sollicitaverit: non venditori, sed emptori contra possidentem in rem competit actio. — Datum kalend. Mart. Sirmii, CC. COSS.

16. Idem, AA. et CC. Sylvano.

Unus ex multis debitoribus, qui pignora tradiderat, heredibus, quod ab eo personali actione peti potuit, solvendo, res obligatas distrahendi creditoris facultatem non admittit. — S. 3 non. april. CC. COSS.

L. 5, § 2, D. de statulib. — 10. L. 5, supr. de pignorat. — L. 4, D. de pignorat. — 11. L. 1, infr. si venditio pign. — 12. L. 5, infr. dict. tit. — 13. L. 2, supr. qui bono ced. — 14. L. 5, supr. h. t.; L. 3, § 4, infr. de jure domini. — 15. Fac. L. 8, supr. de pignorat.; L. 54, D. de obligat. — 16. L. 20, § 3; L. 34, D. de pignorat. — 17. Supr. de dolo; L. 5, supr. de rescind. vendit. — 18. Supr. de his que vi metusve; L. 1, supr. de rescind. vend. — 19. L. 7, supr. dict. tit. — 20. L. 5, § 3, D. de auctor. tut.; N. 22, L. 27, vers. namque ex secundis nuptiis. — 21. L. 54, D. de obligat. — 22. L. un. § 1, in fin. supr. de suffrag. — L. 2, supr. si proprius pign. — 23. L. 39, § 1; L. 40, D. de rei vindic. — 24. L. 18, supr. ad Sc. Vellej. — 25. L. 14, L. 15, supr. de pignorat.; L. 3, L. 10, supr. de remiss. pign.; L. 18, § 2, D. de pignorat. — 26. L. 20, supr. de pactis; L. 9, supr. de donat. inter vir. — 27. L. 18, supr. de administr. tut.; L. 4, supr. de pignorat. — 28. L. 1, infr. de luit. pign.

17. Idem, AA. et CC. Agapæ.

Rei creditor obligata generali sive speciali conventionione, per creditorem alium, cui non fuerat nexa, venduntate non amittit persecutionem. — D. prid. non. april. CC. COSS.

18. Idem, AA. et CC. Cajano.

Qui a creditore pignori obligatum prædium jure emit, de proprietate vinci non potest. — S. 6 kalend. Maji, CC. COSS.

19. Idem, AA. et CC. Libyæ.

Si maritus tuus mutuum [licet tuam] dedit pecuniam; eorum, que pignoris titulo accepit, si ei non successisti, distrahendi nomine tuo nullam habes facultatem. — S. 6 id. novemb. Heracleæ, AA. COSS.

20. Idem, AA. et CC. Sabino.

Secundum placiti fidem, si nihil convenit specialiter, pignoris a creditore majore, quam ei debebatur, pretio distractis; licet ex eo fundus comparatus sit, non super hoc in rem, sed in personam, id est, pignoratata de superfluo competit actio. — S. 6 id. novemb. Byzantiæ, CC. COSS.

TIT. XXIX.

DEBITOREM VENDITIONEM PIGNORIS IMPEDIRE NON POSSE.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Marcello.

Si sunt qui emere prædia tibi obligata velint, non impediuntur scriptura testamenti, qua complexus est debitor nulla a se prædia vendendi, et penam addidit, ut fisci fierent. Nec enim potuisse eum hujusmodi lege sui creditoris facere deterius, manifestum est. — Datum 6 kal. Maji, APRO et MAXIMO COSS. 208.

2. Imp. GORDIANUS A. Nepoti.

Debitoris denunciatio, qui creditori suo, ne sibi rem pignori obligatam distrahat, vel his, qui ab eo volunt comparare, denunciatur: ita demum efficax est, si universum tam sortis, quam usurarum offerat debitum creditori: eoque non accipiente, idonea fide probationis [ita ut oportet] depositum ostendat. Nam si vel modicum de sorte, vel usuris in debito perseveret: distractio rei obligate non potest impediri: neque ea ratione emptor, tametsi sciat interpositam a debitore denunciacionem, male fidei fit possessor. — P. P. 3 non. August. GORDIANO A. et AVIOLA COSS. 240.

TIT. XXX.

SI VENDITO PIGNORE AGATUR.

1. Imp. ALEXANDER A. Agrippæ.

Præsens provinciæ aditus, si fuerit probatum, tuum creditorem, cui jus distrahendi pignora fuit, dolo malo fundum vendidisse: quanti tua interest restituere tibi eundem creditorem jubebit. Quod si de bonis creditoris condemnati solvi pecunia non poterit, et probatum fuerit, emptorem mala fide emisse: offerente pecuniam cum usucis, quanti fundus venit, restituere tibi fundum cum fructibus male fidei emptorem jubebit. — P. P. kal. septemb. ALEXAND. A. COSS. 223.

2. Idem, A. Emilianio.

Servos, quos nullo jure a creditore venisse dicis, pater tuus, vel tu, si hereditas ejus ad te pertinet, a possessoribus petere potes. Quod si usucapiti sunt, petat pater tuus pretium eorum a creditore, qui non jure eos vendidit. — P. P. 3 kal. Januar. ALEXAND. A. COSS. 225.

3. Idem, A. Claudio.

Si uxor tua prædii provinciæ probaverit, cum aureis triginta debe-

29. L. 2, supr. de his, qui in prior. credit. — 30. L. 26, § 2, D. de pignorat. — 31. L. 15, § 2, D. de re judic. — 32. L. ult. § 4 et 5, infr. de jure domini. — L. 24, § 2, D. de pignorat.; adde L. 2, § 1; L. 7, D. dict. tit. — Tit. XXXI. — 1. L. 14, § 14, D. de legat. 1. — 2. L. 28, § 3, D. de legat. 3. — 3. L. 5, supr. tit. prox. — 4. L. 6, supr. dict. tit.; L. 2, in fin. infr. de fidejuss.; L. 25, § 14, D. famul. creiscis; L. 9, § 3, D. de pignorat.; L. 85, § 6, D. de verb. oblig. — 5. L. 4, supr. de usur. — 6. L. 1, infr. de litigios. — Tit. XXX. — 1. Lib. 4, infr. h. t.; L. 7, supr. de distract. pign. — 2. L. 5, infr. h. t. — 3. L. 9, D. de rescind. vendit.; immo vide L. 27, infr. de evict. — 4. L. 4, infr. h. t.; L. 2, supr. si propt. publi. pensit.; L. 5, supr. si advers. fac. — 5. L. 1, supr. h. t. — 6. d. L. 1, vers. quod si. — 7. d. L. 1, L. 4, infr. eod. — 8. L. 3, supr. eod. — 9. L. 7, supr. de distract. pign.; immo vide L. 24, § 2, D. de pignorat.

ret, servos suos amplioris pretii per gratiam aureis viginti creditorem vendidisse, eumque solvendo non fuisse: jubebit emptores, recepto pretio, restituere servos. — P. P. 16 kalend. octobr. MAXIMO et AELIANO COSS. 224.

4. Imp. GORDIANUS A. Eudemo.

Cum contra bonam fidem venditionem obligatæ possessionis a creditore factam alleges, non observatis, que in distrahendis pignoribus celebrari consueverunt, adito præside provinciæ experire actione competenti non tantum adversus creditorem, verum etiam adversus possessorem, si fraudem eum participasse cum creditore docere poteris: ut revocatis, que mala fide gesta constiterit, et fructuum ratio, et damni, quod irrogatum apparuerit, haberi possit. — P. P. kal. april. SABINO et VENUSTO COSS. 244.

5. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Nonia.

Si creditor pignus, priusquam ei satisfieret, distrahente, non per collusionem emptor comparaverit, successor ejus de superfluo, non emptoris heres, qui rem possidet, conveniendus est. — S. 16 kal. Januar. NICOMEDIA, CC. COSS.

TIT. XXXI.

DE LUITIONE PIGNORIS.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Antiochie.

Qui pro parte heres extitit: nisi totum debitum exsolvat, suam portionem ex pignoribus recipere non potest. — P. P. 3 kal. april. ALBINO et AEMILIANO COSS. 207.

2. Imp. GORDIANUS A. Domitio.

Intelligere debes vincula pignoris durare personali actione submota. — P. P. 12 kal. Jun. SABINO et VENUSTO COSS. 244.

3. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Floro.

Si reddita debita quantitate, vel rebus in solutum datis sive distractis, et compensato pretio, satis ei, contra quem supplicas, factum esse adito præside provinciæ probaveris: vel si quod residuum debetur, obtuleris, ac, si non acceperit, deposueris consignatum: restitui tibi res pacto pignoris obligatas providebit: cum etiam edicto perpetuo actione proposita, pecunia soluta creditori, vel si per eum factum sit, quominus solveretur: ad reddenda ea, que pignori acceperat, jure eum satis evideri urgeri, manifestum est. — S. 6 id. oct. AA. COSS.

TIT. XXXII.

SI UNUS EX PLURIBUS HEREDIBUS CREDITORIS, ET DEBITORIS PARTEM SUAM DEBITI SOLVERIT, VEL ACCEPERIT.

1. Imp. VALERIAN. et GALLIEN. AA. Tauro.

Manifesti, et indubitati juris est, defuncto creditore multis relictis heredibus, actionem quidem personalem inter eos lege tabularum dividi: pignus vero in solidum unicuique teneri. — Dat. 12 kalend. Maji, ipsis AA. 4 et 3 COSS. 258.

2. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Claudia.

Actio quidem personalis inter heredes pro singulis portionibus quaesita scinditur: pignoris autem jure multis obligatis rebus, quas diversi possident: cum ejus vindicatio non personam obliget, sed rem sequitur: qui possident, tenentes non pro modo singularum rerum substantiæ conveniuntur, sed in solidum: ut vel totum debitum reddant, vel eo, quod detinent, cedant. — S. 3 nov. Antiochie.

Tit. XXXI. — 1. Lib. 20, D. 6. — 2. L. 16, supr. de distr. pign.; L. 8, § 2; L. 9, § 3, 2, de pignorat. — 3. L. 65, D. de evictio. — L. 30, § 1, D. ad leg. Aquil.; L. 27, D. de pignorat.; L. 38, in fin. D. de solutio. — 4. L. 1, in prin. et § ult.; L. 5, § 1 et § 2; L. 6, D. quib. mod. pign. — L. 4, D. de distr. pignor. — 5. L. 7, supr. dict. tit.; L. 4, § 1, D. de reb. cred.; mod. pign. — L. 4, D. de distr. pignor. — 6. L. 7, supr. dict. tit.; L. 4, § 1, D. de reb. cred.; L. 31, § 3, 5, D. de pignorat.; L. 11, § 1, D. de pignorat.; L. 6, D. quib. mod. pignus. — 6. Adde L. 9, supr. de pignorat. — 7. Adde L. ult. supr. ad exhibend.; L. 2, supr. de conduct. ex lege; L. ult. infr. de solutio. — 8. L. 1, § 6, D. de obligat. — Tit. XXXII. — 1. L. 16, supr. de distr. pignor.; L. 1, infr. de exception. — 2. Adde L. 11, § 4, D. de pignorat. — 3. L. 25, § 13, D.; L. 6, supr. famul. creiscis. — 4. L. 2, infr. h. t. — 5. L. 65, D. de evictio. — 6. L. 1, supr. h. t.; L. 2, supr. de hered. action.; L. 1, supr. h. t. — 7. L. 15, supr.; L. 17, D. de pignorat.

TIT. XXXIII.

SI PIGNORIS CONVENTIONEM NUMERATIO PECUNIE SECUTA NON FUERIT.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Illaro.

Si pecuniam tibi non esse numeratam, atque ideo frustra cautionem emissam adseris, et pignus datum probaturus es, in rem experiri potes: nam intentio dati pignoris, neque reddita pecunia, non aliter tenebit, quam si de fide debiti constiterit. Eademque ratione veritas servetur, si te possidente pignus adversarius tuus agere ceperit. — P. P. kal. sept. LATERANO et RUFINO COSS. 198.

2. Imp. ALEXANDER A. Peregrino.

Si (ut nunc adseveras) nihil creditor numeravit uxori tuae, quae pignus dedit, sed inanem extorsit cautionem: mendaci scriptura contra fidem veritatis obligari ejus res non potest. — Sine die et consule.

TIT. XXXIV.

DE JURE DOMINII IMPETRANDO.

1. Imp. ALEXANDER A. Nicolae.

Dominii jure pignora possidere desiderans, nomina debitorum quos in solutione cessare dicis, exprimere, et an solennia peregisti, significare debuisti: dummodo scias omnia bona debitoris, quae pignori dedit, ut universa dominio tuo generaliter addicantur, impetrare te non posse. — P. P. 14 kal. dec. ALEX. AUG. 5 et DIONE COSS. 250.

2. Imp. GORDIANUS A. Juste.

Si creditor pignus jure dominii a nostra serenitate possidere petit, et post formam scripti alio anno usuras a volis acceperit, a beneficio impetrato recessisse videtur. — P. P. prid. decemb. PIO et PONTIANO COSS. 259.

3. Imp. JUSTINIANUS A. Demostheni P. P.

Vetustissimam observationem quae nullatenus in ipsis rerum claruit documentis, penitus esse duximus amputandam, immo magis clarioribus remediis corrigendam. Igitur in pignoribus quae jure dominii possidere aliquis cupiebat, proscriptio publica, et annus luitionis antiquitus introducti sunt: pignus autem publice proscriptum, neque vidimus, neque (nisi tantummodo ex librorum recitatione) audivimus. — § 1. Sancimus itaque, si quis rem creditori suo pignora verit, si quidem in pactione cautum est, quemadmodum debet pignus distrahi, sive in tempore, sive in aliis conventionibus, ea observari, de quibus inter creditorem et debitorem conventum est. Sin autem nulla pactione intercesserit, licentia dabitur feneratori ex denunciatione vel ex sententia judiciali post biennium ex quo attestatio missa, vel sententia prolata est, numerandum, eam vendere. — § 2. Sin vero nemo est qui comparare eam maluerit, et necessarium fiat creditori saltem sibi eam jure dominii possidere: in hujusmodi casibus (hanc) causam esse observandam censemus, ut sive praesens sit debitor, denunciatio ei scil. post biennium mittatur: sive absuerit, provinciale tribunal creditor petat, et judicem certiorare festinet, quatenus ille eum requisierit, certo tempore super hoc ab eo statuendo: ut fiat debitori manifestum per apparitionem judicis, quod a creditore petitum est: et certum tempus statuatur, intra quod si fuerit inventus debitor, debet is qui pecunias creditas accepit, debitum offerre, et pignus recuperare. — § 3. Sin autem nullatenus fuerit inventus, iudex certum tempus definit intra quod ei licentia dabitur sese manifestare, et offerre pecuniam, et pignus a pignoratione liberare. Sin autem tempore statuto, vel minime fuerit inventus, vel creditam pecuniam totam offerre noluerit: tunc creditor adeat culmen principale, et precibus porrectis, jure dominii (a nostra serenitate) habere eandem rem expetat, habeatque ex divino oraculo ea in suo dominio. Et postquam hoc fuerit subsequutum, pietatis intuitu habeat debitor intra biennii tempus in suam rem humanum regressum, ex die sacri oraculi numerandum: et liceat ei creditori qui jam dominus factus est, offerre debitum cum usuris, et damnis vitio ejus creditori illatis: quorum quantitatem creditor debet suo juramento manifestare, et suum pignus recuperare. Sin autem biennium fuerit elapsum, plenissime habeat rem creditor, idemque dominus jam irrevocabilem factam. — § 4. Sed si quidem minus in pignore plus in debito inveniat: in hoc quod noscitur abundare, sit creditori omnis ratio integra. Sin autem ex utraque parte quantitas aequa inveniat, sine omni dubitatione totam rem antea pignoratam retineat. Sin autem minus quidem in debito, amplius autem in pignore fiat: tunc in hoc, quod debitum excedit, omnia debitori jura integra lege nostra servabuntur: creditoribus quidem feneratoris non suppositum, aliis autem debitoris creditoribus, vel ipsi debitori servatum. Et ne ex communi fiat aliqua difficultas, licentia dabitur creditori, seu domino, aestimationem superflui debitoris, vel creditoris debitoris cum competenti cautela in eum exponenda offerre. — § 5. Sin vero creditor postquam jure dominii hoc possideat, vendere hoc maluerit, liceat quidem ei hoc facere: si quid autem superfluum sit, debitori servare. Sin autem dubitatio exorta fuerit pro venditione, utpote viliori pretio facta, sacramenti circumscriptio usus est: sed tanti vendiderit rem, quanti potuerit venire: et hoc tantummodo reddi debitori quod ex juramento superfluum fuerit visum. Sin autem ex jurejurando (etiam) minus habuisse creditor inveniat, in residuum habeat integram actionem. — § 6. Aestimationem autem pignoris, donec apud creditorem eundemque dominum permaneat, sive amplioris sive minoris, quantum ad debitum quantitatis est, judicialis esse volumus discretio: ut quod iudex super hoc stauerit, hoc in aestimatione pignoris obtineat. — Dat. 18 kalend. aprilis CONSTANTINOP., LAMPADIO et ORESTE VV. CC. COSS. 530.

TIT. XXXV.

DE PACTIS PIGNORUM ET DE LEGE COMMISSORIA IN PIGNORIBUS RESCINDENDA.

1. Imp. ALEXANDER A. Victorino.

Qui pactus est, nisi iura certum tempus pecuniam quam mutuam accepit, solveret, cessurum se creditoribus, hypotheca venditionem non contraxit: sed id comprehendit, quod jure suo creditor in adipiscendo pignore habiturus erat. Communi itaque jure creditor hypothecam vendere debet. — P. P. id. octob. ALEXANDRO A. COSS. 225.

2. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Dionysio.

Si fundi nomine quem vendideras, emptori ab alio nota proprietatis quaestione, alterum fundum pro ejus evictione pignoris hypothecae titulo emptionis instrumentis ea lege dedisti, ut quem secundo vendideras, si is quem vendideras, evictus non fuerit, obineas: de hoc contra eum qui moverat quaestionem lata sententia: emptori parata securitas circa eum quem obligaveras restituendam: conventionis fidem impleri (si negotium integrum est) praesens jubebit. — S. kalend. decemb. SIMMII, AA. COSS.

5. Imp. CONSTANTINUS A. ad populum.

Quoniam inter alias captiones praecipue commissoriae (pignorum) legis crescit asperitas, placet infirmari eam, et in posterum omnem ejus memoriam aboleri. Si quis igitur tali contractu laborat, hac sanctione respiciet, quae cum praeteritis presentia quoque repellit, et futura prohibet. Creditores enim re amissa jubemus recuperare quod dederunt. — Dat. 2 kal. febr. SERVICAE, CONST. A. 7 et CONSTANTIO C. COSS. 526.

TIT. XXXVI.

DE EXCEPTIONIBUS SEU PRESCRIPTIONIBUS.

1. Imp. ANTONINUS A. Claudio.

Debitorum quidem hereditarii unicuique heredum pro portione hereditaria, antiqua lege obligati sunt. Sed si eis hereditum omnem pecuniam exsolvisi, quibus nomen patris tui testator in divisione adscripserat, doli mali exceptione adversus alios agentes tueri te potes. — P. P. 10 kal. Aug. DVOSBUS et ASPRIS COSS. 215.

L. 63, in fin. D. de acquir. rer. domin. — S. L. 4, sup. de pignorat. — 9. L. 4, D. de pignorat. — 10. L. 1, L. 2, sup. si in caus. judic. pign. — 11. L. 2, L. 3, sup. dict. tit. — L. 3, sup. de execut. rei judic. — L. 15, § 3, D. de re judic. — 12. L. 10, sup. de obligat. — 13. L. 42, D. de pignorat. — L. ult. sup. de distr. pign. — 14. § 5, sup. h. l. — Tr. XXXV. — 1. Lib. 10, D. 1. — 2. Fac. Lib. 18, D. 5. — 3. L. 2, D. de leg. commiss. — 4. L. 58, D. de minorib. — 4. L. 4, sup. de pignorat. — 5. 1. Feud. 57. — 6. L. 7, sup. de legib. — L. un. in fin. sup. de contract. judic. — Tr. XXXVI. — 1. Lib. 44, D. 1. — 2. Tit. sup. si unus ex plur. hered.

Tr. XXXIII. — 1. Adde tit. sup. de non numer. pec. et de dote caut. non numer. — 2. L. 1, sup. de non numer. pecun. — Tr. XXXIV. — 1. Adde L. 65, § 4, D. de acquir. rer. domin. — 2. L. 5, infr. h. t. — Adde L. 6, sup. de remis. pign. — 3. L. ult. sup. si in caus. judic. pign. — L. 24, in princ. D. de pignorat. — L. 59, in princ. D. ad St. Trebell. — L. 65, in fin. D. de acquir. rer. domin. — 4. L. 4, sup. de pact. inter empt. et f. — L. 5, sup. de caus. — L. 7, § 2, D. de depos. — L. 2, sup. de his quae vi mutentur. — L. 4, § 2, L. 7, D. de leg. commiss. — L. 13, in princ. D. de usur. — § 2, 1, Inst. qu. b. afen. lic. — 6. L. 6, sup. de remis. pign. — L. 4, sup. de distr. pign. — 7.

TIT. XXXVII.

DE LITIGIOSIS.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Paulinae.

Cum creditor pignus vendit, non potest videri litigiosa rei emptia contrahi, etsi debitor interdicitur, ne venditio perficiatur. — P. P. kal. Maji, APRO et MAXIMO COSS. 208.

In AUTH. de litigiosis, § 1, col. 8, tit. 3, al. 8, Novell. 112, c. 1.

Litigiosa res est, de cujus dominio causa movetur inter possessorem, et petentem, judiciaria conventionione, vel precibus principi oblati, et judici insinuatis, et per eum futuro reo cognitis.

2. Imp. CONSTANTINUS A. ad provinciales.

Lite pendente actiones, quae in iudicium deductae sunt, vel res, pro quibus actor a reo detentis intendit, in conjunctam personam, vel extraneam donationibus, vel emptioibus, vel quibuslibet aliis contractibus minime transferri ab eodem actore liceat: tanquam [si] nihil factum sit, lite nihilominus peragenda. — Datum kal. Martii, BASSO et ABLABIO COSS. 551.

3. Imp. GRATIAN., VALENT. et THEOD. AAA. Tatiano P. P.

Quicumque rem litigiosam, vel ambiguum chirographum, quodlibet denique mobile, vel immobile fisco nostro, vel potentiori, seu aliis personis in testamento sive codicillo legaverit, sive commiserit aut per hereditatem reliquerit, nullam fisco noster, vel alia persona licentiam habeat jurgiorum, nec judicium subeat: sed aestimatio ejus litis ineat, praestanda his, quibus actiones, vel res litigiosae relictae sunt. Eandem litem ipsi heredes peragant, suarum actionum periculo ea, quae litigiosa fuerant relicta, vindicantes. Quod et de chirographis placet, ut heredes relictorum fisco, vel aliis personis praesentem pecuniam numerent, et iudicio eos, quos obnoxios existimant, persequantur. — Dat. 15 kal. Jul. THESSALONICA. Item rursus Constant. 15 kal. Januar., GRATIANO 8 et THEODOSIO AA. COSS. 580.

4. Imp. JUSTIN. A. Joanni P. P.

Censemus, [ut] si quis lite pendente, vel actiones, vel res, quas possidet, ad alium quandam transtulerit, sive scientem, sive ignorantem, vitio litigiosi contractus subjacere: distinctione quadam inter contrahentes observanda, ut si quis sciens, vel ad venditiones, vel ad donationes, seu ad alios contractus accesserit, cognoscat se compellendum non tantum rem redhibere, sed etiam pretio ejus privari, non ut lucro cedat ei, qui rem alienavit, sed ut etiam alia tanta quantitas ab eo fisci juris inferatur. — § 1. Sin autem ignorans rem litigiosam emerit, vel per aliam speciem contractus eam accepit: tunc irrita rei alienatione facta, pretium cum alia tertia parte recipiat. Justum est etenim propter doloasam mentem, et absconditam machinationem, cum non emptori manifestaverit rem in iudicium deductam fuisse, [in] tertia parte pretii (sicut jam etiam disposuimus) eum puniri: tali videlicet poena non solum in aliis contractibus, verum etiam in donationibus porrigenda: ut vera aestimatione facta, cum pretii datio non est, rem ad alium transferens, multetur: omnibus instrumentis, quae super hoc conficiuntur, nullam vim obtinentibus: exceptis videlicet hujus sanctionis dispositione his, qui vel dotis nomine, vel ante nuptias donationis, vel transactionis, aut divisionis rerum hereditariarum factae, vel per legati, vel per fideicommissi causam tales res, vel actiones dederint, vel acceperint. — Dat. 18 kalend. novemb. CONSTANTINOP., post consulatum LAMPADII et ORESTIS VV. CC., ann. secundo 532.

In AUTHENT. de litigiosis, § Et hoc autem praesenti, coll. 6, tit. 13, al. 8, Novell. 112, cap. 1.

Nunc si heres in lite victor extiterit, rem ipsam, cujus dominus esse apparet, legatario praestet: qui nihil consequitur, si victus fuerit heres, cum litis eventus ei videatur relictus. Igitur liti adesse potest, ne colludatur.

2. Idem, A. Julio.

Pro portione tua, qua domum ad te pertinet dicis, si iudicatum non est, actionem dirigere potes. Nam exceptio rei judicatae ei demum obstat, vel successoribus ejus, inter quos cognitum super ea re et pronunciatum est. — P. P. 15 kalend. Martii, ANTONINO A. 4 et BALBINO COSS. 214.

3. Idem, A. Vitali.

Adversus fratrem tuum quondam tutorem legitimum tutelae iudicio si expertus non es, proposita actione consiste: nec timueris exceptionem pacti, si in ea fraudem dolumque admissum probare potes: nam replicatio doli opposita bonae fidei iudicium facit, et commentum fraudis repellit.

4. Imp. ALEXANDER A. Juliano et aliis.

Cum nondum finitam sententia causam, sed dilatalem allegetis, non est dubium, omnes integras defensiones [vobis] esse. — P. P. 2 non. octobr. MAXIMO 2 et ABLABIO COSS. 224.

5. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. et CC. Basilio.

Licet Unde vi interdictum intra annum locum habeat, tamen exceptio perpetua succurri ei, qui per vim expulsus post retinuit possessionem, auctoritate juris manifestatur. — 5 kal. Maji TRALLIS, AA. COSS.

6. Idem, AA. et CC. Helenae.

Si pactum intercessit, in exceptione sine temporis praefinitione de dolo replicare potes. — S. kal. sept. VIMINACII, AA. COSS.

7. Idem, AA. et CC. Menandro.

Si ex maiore debiti quantitate minor tibi soluta est, nec liberationem debitori tuo praestitisti: petere, quod non probatur redditum, contra exceptionem pacti replicatione tuam adjuvans intentionem, minime prohiberis. — S. 2 kal. Mart. CC. COSS.

8. Idem, AA. et CC. Aurelio.

Prescriptionem peremptoriam, quam ante contestari sufficit, omissam, priusquam sententia feratur, objicere quandoque licet. — S. 15 kalend. novemb. CC. COSS.

9. Idem, AA. et CC. Mutiano.

Si quidem intentionem actoris probatione deficiente confidis, nulla tibi defensio necessaria est. Si vero de hac confitendo, exceptione te munium asseveras, de hac tantum agi convenit. Nam si etiam de intentione dubitas: habita exceptionis contestatione, tunc demum, cum intentionem secundum asseverationem suam petitor probaverit, hinc esse locum monstrari convenit. — S. 5 non. novemb. BURADIZI, CC. COSS.

10. Idem, AA. et CC. Aquilinae.

Non exceptionibus actores, quibus reis auxilium tribuitur certis ex causis, sed replicationibus suam intentionem, si quam habeant, muniant. — S. kal. decemb. NICOMEDIAE, CC. COSS.

11. Idem, AA. et CC. Neoni.

Defensiones sive exceptiones ad intercessores extendi, quibus reus principalis integro manente statu munitus est, constat.

12. Imp. JULIANUS A. ad Julianum comitem Orientis.

Si quis advocatus inter exordia litis praetermissam dilatoriam prescriptionem postea voluerit exercere: et ab hujusmodi opulatione submotus, nihilominus perseveret, atque praeposteram defensionem institerit: unius librae auri condemnatione multetur. — Dat. 7 id. Mart. ANTIOCHIAE, JULIANO A. 4 et SALLUSTIO COSS. 563.

13. Imp. HONOR. et THEOD. AA. Symmacho proconsuli Africae.

Prescriptiones fori in principio litis a litigatoribus opponendas esse, legum decrevit auctoritas. — Dat. 8 kalend. sept. RAVENNAE, HONORIO 10 et THEODOSIO 6 AA. COSS. 415.

3 Tit. sup. inter alios acta vel judic. — 4. L. 5, infr. de inutilib. stipul. — 5. L. 18, § 1, D. de probat. — 6. L. 21, D. soluto matrim. — L. 84, § 5, D. de legat. — 7. L. 42, D. de mort. caus. donat. — 8. L. 8, infr. h. t. — L. 2, sup. sentent. rescindi non posse. — 9. L. 2, sup. unde vi. — L. 1, in princ. et § 59, D. de vi et vi armat. — 10. L. 6, infr. h. t. — 11. L. 24, L. 31, sup. de transact. — L. 67, § 5, D. de cond. indeb. — 12. § 9, Inst. de except. — 13. L. 4, sup. h. t. — 14. L. 12, infr. eod. — 15. L. 4, sup. de edendo. — L. 9, sup. de obligat. — 16. Vile tenent. — L. 2, D. h. t. — 17. Inst. de replicat. in pr. — L. 2, § 1, L. 22, § 1, D. h. t. — 17. L. 19, D. eod.

L. 49, in princ. D. de fidejuss. — § 4, Inst. de replic. — 18. L. 19, sup. de probat. — 19. L. 8, sup. h. t. — confer. L. 4, sup. eod. — 19. L. 4, sup. de jurisd. omni. jud. — N. 55, c. 5. — Tr. XXXVII. — 1. Lib. 44, D. 6, N. 112. — 2. L. 1, in princ. D. h. t. — L. 2, sup. de distr. pign. — Adde L. 2, sup. debet. vendit. pignor. imp. non posse. — L. 5, sup. si autem. cred. — 3. Eze. L. 3, L. 4, infr. h. t. — eod. L. 1, in pr. — L. 22, in pr. D. de jur. fisci. — 4. L. ult. in p. h. t. L. ult. vers. si quis, D. de alicui. jud. mut. — 5. L. ult. in fin. infr. h. t. — N. 119, — 6. L. 3, in fin. D. h. t.

